

MONARCHIA
 QUARTA
 siue
 ROMANORVM

Anni
 Christi.

RES ILLUSTRIVM GENTIVM,
 earum maxime, qua ad Monar-
 cbiam adspirauere, aut iis
 se opposuere.

Anni
 Christi.

RESPUBLICA
 CHRISTIANORVM
 siue
 RES SACRÆ.

Legati in Hispaniam missi, tandem litteras a rege impetrant, quibus scribitur: *Inquisitores fidei in Belgio abrogantur, sed noui Episcopi manent. Edicta de religione mitigantur, sed ex consilio Senatus Hispanici. Denique coniuratis omnibus Belgis venia datur, sed duabus prioribus legibus ante omnia receptis. Hæc omnia incerta. Et inde ortus populi motus, & Iconoclastæ ad templa & aras passim euastanda concurrere.*

1567.

Margareta Parmensis, impar tollendis seueritate his motibus, optimo consilio quasi conuiuere incipit ad conciones ac conuenticula in sacris dissentientium Belgarum. Et sic pax poterat coalescere. At mox Ferdinandus, Dux Albanus, cum ingentibus militum copiis in Belgium mittitur; iura omnia euertit; Concilium sanguinis dictum, instituit; vicesimam rerum soli, decimam mobilium, in singulas alienationes indicit; denique exitium & sanguini & fortunis Belgarum strenue intentat. Inde discessus Margareta in Italiam; Principis Auausionensis in Germaniam; & exulibus Belgis Anglia, Germania, Borussia, & vicinæ ditiones impletæ.

1568.

Quidam accuratiores in Anglia Episcopali auctoritati, sed frustra, se opponunt. Hæc est eorum in Anglia origo, qui PURITANI vulgo dicti.

1570.

Dux Albanus, cum experiendo iam cognosceret, venerationem terrore inter Belgas non obtineri, nomine regis amnestiam, omniumque, quæ commissa hæcenus erant, remissionem solenniter curat promulgandam. At tum quoque experiendo cognitum est, frustra tyrannos subditis ignoscere, vbi iis, omnem egressis modum, subditi tuto non possunt ignoscere.

Turca Cyprum vi expugnant. Hic occasus est Venetorum in Cypro imperii, atque initium eius Turcis adhuc hodie manentis.

1572.

Carolus IX, Gallie rex, Reformatis plerisque Principibus & Nobilibus ad nuptias sororis Margareta & Henrici, titulotenus regis Nauarreni, inuitatis, ignaros eos ac incautos, facta armatorum irruptione, mactandos curat. Hæc est celebris Laniena Parisiensis, ad cuius exemplum plures similes in Gallia alibi, eadem vespera, sunt perpetrata, quaque in sola vrbe Lutetiana ultra decem millia Reformatorum periere. Hæc origo est ne quidem hodie satis fidentium inuicem sibi Reformatorum ac Pontificiorum.

Cosmus Medicæus, Florentino imperio per Etruriam late exporrecto, a Pio V Pontifice magnus

L

Dux